

*Praxi fori eccles.* resolut. 127. in fine; Casiro Palao, tom. II. tract. XIII, disp. 2. pun. 3, n. 4, ad hoc, ut dicantur presentationes multiplicatae, sufficere duos actus, quia « pluralis locutio duorum numero est, » contenta, c. 40. *de Reg. jur.* in 6. et 1. *Ubi numerus*, ff. *de Test.* Cæterum tam actus, quam tempus immemorabile legitime probare debet præter tendens juspatronatus, ut concedunt doctores communiter: quid autem sit tempus immemorabile, vide supra, lib. II. tit. XXVI. § 5. n. 122. et Barbosa, in *Concil. Trident.* loc. cit. a. n. 6.

14. *Ad probandam præscriptionem in potentibus requiritur major probatio.* — Advertendum hic tamen, « quod in iis personis, seu communitatibus, seu universitatibus, in quibus id jus (patronatus) plerumque ex usurpatione potius quæsitum præsumi solet, plenior et exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur. Nec immemorabilis temporis probatio eis aliter suffragetur, quam si præter reliqua ad eam necessaria, presentationes etiam continuatae non minori saltem quam quinquaginta annorum spatio, quæ omnes effectum sortita sunt, authenticis scripturis probetur: » sunt verba concilii Tridentini, loc. cit. Quænam autem sint tales personæ et communitates, vide Barbosam, in *Concil. Trident.* loc. cit. a. n. 32. et Gonzalez, in reg. 8. Cancellar. Glossa 48. a. n. 66. ubi ex declaratione cardinalium refert, esse omnes potentes: item omnes perpetuam jurisdictionem habentes, nobiles, barones, comites, duces, reges, imperatores, principes, episcopos, universitates, et communitates.

15. Contra ecclesiam vero non liberam, sed patronatam, seu potius contra patronum, requiritur, et sufficit tempus ordinarium, videlicet decem annorum inter præsentantes, et viginti inter absentes cum titulo: sine titulo autem triginta anni cum bona fide, si præscribitur contra privatum, sive clericum, sive laicum, atpote contra quem dictum tempus ad præscriptionem requiritur, et sufficit per dicta, et ex jure probata, lib. II. tit. XXVI. *de Præscriptione.* § 6. Ita docet Molina *de Justit. et jur.* disp. 70, n. 2; Zoesius, h. t. n. 9; Pirhing, h. t. n. 118, ubi etiam citat Covarruviam in *Reg. possessor. de Reg. jur.* in 6. § 40. n. 8. qui tamen contrarius est, utpote universaliter requirens annos quadraginta, etiamsi contra privatum præscribatur; eo quod, ut ait, in tali præscriptione

de aliquali saltem agitur præjudicio ecclesiae utpote cujus interest, ne mutantur ejus patroni. Verum quia hæc ratio omnino non videtur efficax, cum parum vel nihil intersit ecclesiae, hunc vel illum habere patronum privatum, et æque evenire possit, ut ille, qui præscribit, utilior sit ecclesiae; quam prior ejusdem patronus, contra quem præscribitur, uti bene observat Molina, loc. cit. hinc non videtur recedendum a dispositione juris communis, dictum tempus ad præscribenda immobilia pro necessario et sufficiente statuendum. Accedit, quod concilium Tridentinum, sess. 25. *de Reform.* cap. ix. nil immutavit circa probationem jurispatronatus privatorum, sed reliquit sub dispositione juris communis, prout sæpe decidit Rota, teste Gonzalez in reg. 8. Cancellar.; Glossa 48. n. 54. Barbosa, in *Concil. Trident.* loc. cit. n. 21. Quadraginta tamen anni requiruntur si est præscriptio contra monasterium, vel alias causas pias juspatronatus habentes, quia contra has de jure communi hoc spatium temporis ordinarie requiritur juxta dicta, lib. II. tit. XXVI. *de Præscriptione.* n. 163.

16. Illud communiter concedunt doctores citati, etiam adversarii, et Barbosa in *Concil. Trident.* loc. cit. n. 22. cum tempore sufficere unicum actum præsentationis exercitum. Ratio est, quia de jure communi plures non requiruntur, sed unus sufficit, ad constituendum aliquem in possessionem; dummodo interea non venerit alius casus præsentationis, uti observat Barbosa, loc. cit. Nec obstat hactenus dictis concilium Tridentinum, loc. cit. ubi tempus immemorabile, et multiplicatos actus requirit. Resp. enim concilium ibi loqui in casu, quo fit præscriptio contra ecclesiam liberam, seu non patronatam: quam in libertate conservare enixe intendit: non item de casu, quo præscriptio currit contra ecclesiam jam patronatam, seu jurispatronatus jam subjectam, sed potius contra patronum, ut doctores communiter advertunt. (ADNOTATIO XXII.)

## § II.

DE MODIS, QUIBUS JUSPATRONATUS JAM SEMEL ACQUISITUM IN ALIOS TRANSFERRI, CONSEQUENTER TRANSLATIONE ACQUIRI POSSIT: UBI ETIAM DE HIS, QUI CAPACES SUNT JURISPATRONATUS.

17. *Juspatronatus quatuor modis transfertur in alium.* — Notandum prius cum Glossa

communiter recepta in can. *Pia mentis.* 26. cau. 16. q. 7. et c. *Cum sæculum* h. t. §. *Empiorum*, quatuor modis juspatronatus ab uno in alium transferri posse, videlicet, successione, donatione, permutatione, et venditione universitatis, de quibus sunt illi versus relati a Glossa, loc. cit.:

Jurapatronatus transire facit novus hæres,  
Et res permutata, donatio, venditioque.

18. I. *Hæreditate: et quomodo?* — Quæritur I. An, et quomodo transferatur in alium juspatronatus per successionem hæreditariam? Resp. I. Juspatronatus cum universitate bonorum transit ad hæredes quoscunque tam masculos quam fœminas, tam necessarios quam extraneos, sive ab intestato, sive ex testamento succedant. Abbas, in c. 4. h. t. n. 2. et seq. et ibi Fagnanus, n. 12. et 13; atque Barbosa, n. 9.; Covarruvias, lib. II. *Var. Resolut.* cap. xviii. n. 6.; Pirhing, h. t. n. 44. cum communi, arg. c. 4. h. t. Quod, quia indistincte loquitur, indistincte venit intelligendum. Concordat c. *ex litteris* 7. h. t. et Clem. 2. eod. Hinc inferunt doctores, præsertim Abbas, loc. cit.; Pirhing, loc. cit. et alii, quod si filius v. g. exhæredetur, vel instituatur in re certa, ad eum juspatronatus non transeat; quia transit cum universitate bonorum, arg. cit. c. 7. h. t. nisi forsan rei certæ castro v. g. in quo instituitur hæres, esset specialiter annexum juspatronatus, hoc enim casu in tali re certa hujusmodi institutum transire dictum juspatronatus, clare patet ex eod. c. 7. h. t. et notat Pirhing, loc. cit. et dicitur magis infra n. 21. et 31.

19. *Unius patroni hæredes succedant æqualiter.* — Resp. II. Si plures sunt hæredes unius patroni, succedunt omnes æquali jure, etsi in partibus inæqualibus sint instituti, textus et Glossa communiter recepta in c. 1. h. t. §. *Non debeat.* ubi tamen notatur, quod hæredes juspatronatus dividere non valeant, sed in solidum, si velint, possidere debeant juspatronatus. Ratio est, quia res simplex et indivisibilis (qualis est juspatronatus, utpote incorporale quid, quod dividi nequit, arg. can. *Nihil.* 16. cau. 7, q. 1, et l. *Via.* 17. ff. *de Servit.*) dividi non potest, arg. l. *Si sepulcrum.* c. *de Relig. et sumpt. fun.* 1. *Quod si locus.* ff. eod. Limitatur conclusio, quo unius patroni hæredes aliqui vi juris in bonis succederent in capita, ut liberi, alii in stirpem, ut nepotes, tunc enim

etiam in juspatronatus eodem modo, consequenter non æqualiter succederent.

20. *Plurium patronorum hæredes succedunt in stirpes.* — Resp. III. Si plures sint hæredes diversorum patronorum originalium, succedunt etiam omnes, non tamen in capita, sed in stirpes, ita ut, si Titius v. g. dotavit ecclesiam, Caius vero eandem construxit, et hic relinquit unum hæredem, ille vero quatuor; tunc hi quatuor simul unam tantum habebunt vocem, seu votum præsentando, et unum æquale alteri unus hæres. Abbas, in c. 1. h. t. n. 5; Pirhing, eod. n. 47, cum communi ac certa aliorum, textu claro Clem. 2. h. t., ibi: « Plures ab uno ex patronis ecclesiae relictis hæredes, vocem duntaxat unius habebunt in præsentatione rectoris. » Quid juris autem, si plures patroni in præsentando disconvenient? Item quot vota præsentatus habere debeat? dicitur infra a n. 91.

21. *Judex non potest uni ex hæredibus adjudicare juspatronatus.* *Juspatronatus transit cum re, cui est annexum.* — Resp. IV. Quando hæreditas inter hæredes dividitur, non potest judex uni ex hæredibus adjudicare juspatronatus universitati bonorum annexum. Abbas in c. *Querimoniam.* 9, h. t. n. 3; Zoesius, eod.; Pirhing, eod. n. 56, cum communi. Ratio est, quia vel fit divisio in partes æquales, et tunc non apparet, cur potius uni, quam alteri adjudicetur: vel fit in partes inæquales, et tunc, si in compensationem illi adjudicaretur, qui minus accipit, haberetur aliqua commutatio temporalis pro spirituali, quod simoniacum est. Secus foret, si juspatronatus non universitati bonorum, sed castro, vel villæ, aut alteri certæ rei hæreditariæ est annexum, tunc enim id utique illi adjudicari potest, qui in divisione talem rem accipit: imo absque ulla judicis sententia cum tali re ad eum transit; hoc ipso, quod juspatronatus semper cum re, cui est annexum transeat, arg. c. *Ex litteris.* 7. h. t. et ibi Barbosa, n. 3, ac Fagnanus, n. 3, cum communi aliorum; et magis dicitur infra n. 34.

22. Et ex hac ratione docet etiam Barbosa, loc. cit. n. 9. et *de Offic. et potest. episc.* allegat. 71, n. 45. quod si ob delictum patroni confiscentur bona ejusdem, quibus annexum est juspatronatus, etiam hoc ipso ad fiscum transeat. Sed de hoc vide amplius Sanchez, lib. II, *Moral.* cap. 49. per totum ubi exacte rem pertractat.



23. *Compatroni possunt inter se convenire de facienda presentatione alternis vicibus.* — Resp. V. Possunt insuper compatroni, ac hæredes eorum inter se pro libitu convenire, ut alternis vicibus uni soli v. g. vel duobus presentatio competat: ita ut unus v. g. prima, alius secunda, alius tertia vice solus presentare possit: vel possunt dividere inter se menses, ita ut si in mense januarii vacet beneficium, presentet hic; si in februario, presentet alius, etc., vel etiam, si plura beneficia conferenda habent, unus ad hoc, alius ad illud presentare valeat, arg. Clem. 2. h. t., ibi: « Non inconueniens reputamus, patronos ipsos inter se posse libere convenire de rectore ab eis, alternis vicibus presentando, » et ibi Glossa communiter recepta. Ratio assignatur in dicta Clementina, videlicet, « ut facilius provideatur ecclesiæ, et evitentur discordiæ inter patronos. » Et quidem hujusmodi conventiones fieri possunt a compatronis absque ullo consensu episcopi, arg. cit. Clem. 2. h. t., ibi: « Libere posse convenire, » et ibi Glossa, §. *Libere*. Barbosa, *de Offic. et potest. episc.* alleg. 71, n. 28, et seq.; Gonzalez, in reg. 8. Cancellar., Gloss. 45, § 1, num. 58; Pirhing, h. t. n. 46, cum communi.

24. *Juspatronatus gentilitium etiam transit ad hæredes.* — Resp. VI. Etiam juspatronatus gentilitium (id est reservatum illis, qui sunt de familia seu agnatione fundatoris v. g. juxta dicenda infra n. 48.) extincta familia, et agnatione transit ad hæredes extraneos, nisi aliud ex prima fundatione et conventionione facta cum episcopo constet, ut si v. g. fundator expresse ad familiam tantum successionem fieri voluisset. Fagnanus, in c. 1, h. t. n. 25 et 26; Anchoranus, consil. 81; Pirhing, h. t. n. 53, et communi aliorum, atque resolvit Rota, in caus. *Cremon. jurispatronat.* Ratio est, quia regulariter provisio hominis non tollit provisionem juris communis, arg. 1. *Si cum dotem princ.* ff. *Solutio matrim.* cum concordantiis: atqui juspatronatus ex provisione juris communis transit ad hæredes etiam extraneos per dicta n. 18. ergo non tollitur per provisionem hominis simpliciter, et non taxative, aut exclusive factam: cum merito intelligatur facta in eo sensu, ut, quandiu aliquis de familia superest, extraneus succedere non valeat.

25. *Nisi aliud ex fundatione prima habeatur, quæ præ omnibus est attendenda.* — Di-

citur autem notanter, « nisi aliud ex prima fundatione et conventionione cum episcopo facta constet; » quia huic omnino standum foret, Fagnanus, loc. cit. ubi plures pro hoc decisiones affert. Ratio est, quia in fundatione ecclesiæ potest fundator remittere juspatronatus vel totum, vel ex parte, vel limitative illud inducere in præjudicium hæredum, prout ei libuerit arg. c. *Significavit.* 41. *de Testib.* et c. un. h. t. in 6. ac ibi Anchoranus, et alii. Ob eamdem rationem limitandæ sunt omnes conclusiones huc usque positæ in casu, quo aliud ex speciali ordinatione fundatoris expressum habetur; quia hæc præ omnibus attendenda venit, ut communiter concedunt doctores.

26. *II. Transferri potest juspatronatus in alium donatione. Et quando ad hunc requiratur consensus episcopi?* — Quæritur II. An, et quomodo juspatronatus per donationem in alium transferri possit? Resp. Potest patronus quivis suum juspatronatus donare, cui vult, hic tamen cum distinctione, ut si patronus laicus alicui laico non compatrono, vel etiam clerico, ut personæ privatæ donet, requiratur consensus episcopi: si vero donet ecclesiæ, monasterio, aut alteri loco pio, vel etiam clerico nomine ecclesiæ vel dignitatis, quam obtinet, valeat donatio absque consensu episcopi. Communis. Et quidem, quod requiratur consensus episcopi, si juspatronatus donatur laico, patet ex c. un. h. t. in 6. a sensu contrario, et tenent Abbas, in c. *Illud.* 8. h. t. n. 5. et ibidem Barbosa, n. 2; Mantica, decis. 85, n. 5; Pirhing, h. t. n. 61; Rota apud Farinac. decis. 337, n. 4, p. 1; recent. et decis. 257, n. 1, cum communi aliorum, qui tamen limitant id in casu, quo laicus laico compatrono donat, compatroni enim liberrime, et absque ullo consensu episcopi sibi invicem cedere possunt juspatronatus, arg. Clem. 2. h. t. et ibi Glossa, §. *Libere*; Barbosa, loc. cit. *de Offic. et potest. episc.* alleg. 71, n. 28, et seqq.; Achill. decis. 10. *de Jurepatronat.* et communis. Quod autem consensus episcopi non sit necessarius, si donatur ecclesiæ, vel pio loco, clare habetur in c. *Illud.* 8. h. t., ibi: « Licet religioso loco juspatronatus conferendi liberam habeat facultatem. » et c. un. eod. in 6. caretque controversia. Nec obstant c. *Quod autem.* 5. c. *Illud.* 8. et c. *Cura.* 11. h. t. ubi videtur prohibita talis donatio etiam loco pio facta absque consensu episcopi. Resp. eam, cu-

nones ibi non loqui de solius jurispatronatus, sed de ipsius Ecclesiæ, et beneficii donatione quoad proprietatem, vel titulum aut incorporationem, quoad utique non licet, ut ibidem notant doctores communiter.

27. *III. Permutatione, non quidem per se, sed per accidens cum re, cui est annexum.* — Quæritur III. An, et quomodo permutatione in alium transferri queat juspatronatus? Resp. I. Quamvis juspatronatus per se ac solitarie sumptum pro re temporali permutari nullatenus valeat, eo quod juxta omnes « spiritualia, vel spiritualibus annexa (cujusmodi etiam est juspatronatus c. xvi. h. t.) sine labe simoniæ permutari nequeant, c. *Quæsitum.* 5. *de Rerum permutat.* et quævis permutatio de rebus spiritualibus ad temporalia improbetur, » ut dicitur c. fin. eod. Nihilominus licite et valide etiam absque consensu episcopi accessorie saltem et per accidens pro rebus temporalibus permutari potest; si nempe universitas bonorum, vel alia res temporalis, cui juspatronatus est annexum, permutatur; dummodo hoc in æstimationem non veniat, ita ut ratione illius in permutatione, res temporalis pretiosior quam alia res commutanda exigatur, et detur. Communis, ac certa. Ratio est, quia regula est, quod juspatronatus transeat cum re, cui est annexum, etiam absque auctoritate episcopi, prout supra jam diximus, arg. c. *Ex litteris.* 7. h. t. et notat ibidem Fagnanus, n. 3; Abbas, n. 1; Innocentius, n. 2, testeque Fagnano, omnes. Ratio est, quia contractus celebratur de solis temporalibus (ad quem utique non requiritur consensus episcopi) cum quibus juspatronatus annexum accessorie transit.

28. *Cum alio jurepatronatus vel alia re spirituali permutari potest per se, accedente consensu episcopi.* — Resp. II. Potest insuper permutari juspatronatus cum alio jurepatronatus, aut alia re spirituali. Sylvester, §. *Juspatronatus.* q. 5; Zoesius, h. t. n. 25. cum communi aliorum, arg. c. *Quæsitum.* 5. *de Rerum permutat.* et can. *Nemini regum.* 40, caus. 16, q. 7. Requiritur autem ad hoc consensus episcopi, eo quod etiam spiritualium permutatio in materia beneficiaria absque consensu episcopi fieri nequeat, arg. cit. c. *Quæsitum.* 5. *de Rerum permutat.* Putat tamen Barbosa, *de Offic. et potest. episc.* alleg. 31, citans Roch. *de Jurepatronat.* q. 16. n. 28. et alios dictum consensum solummodo requiri, si permutatione juspatronatus

transferatur in laicum, non item, si fiat in Ecclesiam, vel locum pium, sicut supra n. 26. *de Donatione* hujus juris dictum est.

29. *IV. Venditione, non quidem per se, sed per accidens cum re cui est annexum. Pænæ per se venditium et ementium juspatronatus.* — Quæritur IV. An, et quomodo vendi possit juspatronatus? Resp. I. Certum est, quod juspatronatus per se ac solitarie sumptum vendi nec licite, nec valide possit. Omnes, textu claro c. *de Jure.* 16. h. t. ubi etiam ratio habetur illis verbis: « Cum inconueniens sit, vendi juspatronatus, quod ex spirituali annexum; » ob quod inducit quodammodo naturam spiritualem, ut advertit Glossa, in c. *Quanto.* 3. *de Judiciis.* §. *Connexa.* et censetur spirituale, arg. 1. *Quæ Religios.* ff. *de Rei vindicat.* quia quæ religiosis adhærent, religiosa sunt, quod si nihilominus vendatur, committitur simonia tot. tit. *de Simonia,* estque venditio ipso facto nulla, cit. c. xvi. h. t., ibi: « Contractum illum irritum esse decernas, » id est, declaretur, et ibi Glossa, §. *Irritum.* atque tam vendens, quam emens ipso facto privati existunt jurepatronatus, arg. cit. c. xvi. eod. et concilium Tridentinum, sess. 25. *de Reform.* cap. ix, ibi: « Si secus fecerint, juspatronatus ipso jure privati existant, » et ibi Barbosa, n. 81. item *de Offic. et potest. episc.* alleg. 71. n. 35. ubi etiam habet, quod in tali casu ecclesia patrona redeat ad suam libertatem; quod idem docent Joan. Andreas, et alii; intellige, si unus tantum est patronus, vel plures quidem, sed omnes vendendo delinquentes: si enim plures sunt patroni, delinquente uno aut altero, pertinet jus ad innocentem, uti bene limitat Barbosa, in *Concil. Trident.,* loc. cit. Subjacent insuper vendentes patroni excommunicationi, *Concil. Trident.* loc. cit. nec possunt retinere pretium acceptum, ne ex iniquitate sua commodum reportent, et cum jactura alterius locupletentur, contra reg. 48. jur. in 6. nec tenentur illud restituere emptori, utpote cui mala fide contra sacros canones emit, arg. c. *De hoc de Simon.* et l. *Si fundum.* C. *de Evict.* sed ecclesiæ, cui per simoniam injuria fuit illata. Abbas, in c. *de Jure.* h. t. n. 3; Barbosa, ibid. n. 5, et alii.

30. Resp. II. Potest nihilominus juspatronatus accessorie, seu per accidens vendi, casu nempe, quo venditur universitas bonorum, prædium, vel villa, cui est annexum,